

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Mulier a  
cum fonte primo

De carbonibus scintille dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentie pestilenciam.

In risu aliquando dissoluitur, nunc blandicias exhibet et, quod est uenenosius super cuncta, psallere delectatur aut canere, cuius cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem.

Augustinus in libro de singularitate clericorum.

de carbonibus scintillae dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, et mulier fundit concupiscentiae pestilentiam quam Salomon sic comparat, dicens: de uestimentis procedet tinea, et a muliere iniquitas uiri.

Pseudo-Cyprianus Carthaginensis, *De singularitate clericorum*, 6 (CSEL 3.3, W. Hartel ed., p.179, ll.19-22).

quando in domesticis negotiis nunc lacertos ac femora lanificis operibus nudat, nunc aestuans detegit membra, nunc fatigata iactatur aut in risu aliquando dissoluitur, nunc blandicias exhibet, et quod est uenenosius super cuncta psallere delectatur aut canere? cuius cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem.

Pseudo-Cyprianus Carthaginensis, *De singularitate clericorum*, 10 (CSEL 3.3, W. Hartel ed., p.185, ll.2-6).